

Gesta Romanōrum (Cap VI)

De Sequenda Ratione

Erat quīdam imperātor potēns sed tyrannus, quī quandam puellam, rēgis filiam, pulchram valdē, dēspōnsāvit. Factā dēspōnsātiōne ambō adinvicem iūrāmentum fēcērunt, quod, sī quis eōrum prius morerētur, alter prae nimiō amōre sē ipsum occīderet.

Accidit semel, quod imperātor iste ad partēs longinquās sē trānstulit et diū moram ibīdem trāxit. Volēns probāre uxōrem ad eam nūntium dēstināvit, ut eī dē morte suā dīceret. Audiēns hoc uxor propter iūrāmentum, quod ante fēcērat virō suō, dē altō monte sē praecipitāvit, ut morerētur. Vērumtamen mortua nōn est, sed īnfra breve tempus sānitātī est restitūta. Deinde iterātō sē ipsam volēbat praecipitāre, ut morerētur.

Pater eius hoc audiēns eī praecēpit, ut praecēptō et iūrāmentō virī nōn oboedīret. Illa vērō nōlēbat cōsentīre. Ait pater: "Ex quō nōn vīs mihi cōsentīre et oboedīre, celeriter extrā societātem meam exeās!"

At illa: "Nōlō, et hoc per tālem ratiōnem probō. Cum autem quis iūrāmentō est obligātus, tenētur adimplēre. Ego iūrāvī virō meō, quod prō eius amōre mē ipsam occīderem. Ideō nōn dēlīquī, sī iūrāmentum implēre volō; ergō extrā societātem tuam nōn dēbeō expellī. Item nūllus dēbet pūnīrī prō eō, quod est commendābile. Sed cum vir et uxor sint ūnum in carne secundum deum, commendābile est, quod uxor prō amōre virī suī moriātur. Unde in Indiā aliquandō erat lēx, quod uxor post mortem virī suī prae dolōre et amōre sē ipsam combūrere dēberet, vel vīva cum eō in sepulcrum pōnī. Et ideō, ut mihi vidētur, nōn dēlīquī, quandō mē ipsam interficiō propter amōrem virī meī."

Ait pater: "Quandō prius dīxistī, quod obligāta iūrāmentō fuistī etc., tāle obligāmentum nōn valet, quia praetendit ad malum finem, scīlicet ad mortem. Iūrāmentum semper dēbet esse ratiōnābile et ideō iūrāmentum tuum nūllum est."

"Ad aliam ratiōnem, quandō dīxistī, quod istud est commendābile, quod uxor moriātur prō virō, nōn valet, quia, licet sint ūnum in corpore per carnālem affectiōnem, tamen in animā duo sunt, quae abinvicem reālīter differunt. Et ideō nōn valet, quod allēgāstī."

vir qui **desponsat** feminam pollicetur eam uxorem ducere

dēspōnsātiō, -ōnis < dēspōnsāre
adinvicem fēcērunt: unus fēcit, deinde altera
iuramentum, -ī: id quod iuratur
nimius/a/um: nimis magnus/a/um

longinquus/a/um: longō intervallō distans, remotus

dēstināre = constituere

vērumtamen: sed tamen

sanitas, -ātis (f) < **sanus/a/um**
ea sānitātī restituta est: ea sanata est
iterātō = iterum

ex quo [tempore]

ad-implēre: perficere quod agendum est
homo **delinquit** qui non agit quod agendum est

commendābilis, -e: laudandum

combūrere: facere rem flammare

praetendit = ducit

valet: vim habet

licet = etsi
carnālis, -e (adj) < caro, carnis (n)

realiter: vērē

Puella haec audiēns nōn poterat ulterius arguere, sed dictīs patris adhaesit, nec ulterius sē ipsam praecipitāre volēbat, nec amplius virō suō cōpulārī.

arguere: demonstrare rem aliter se habere

copulāre: coniungere, arcte colligere